



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90118014

§. 38. Papa Claravalle.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

§. XXXVIII.

Sæcul. XII.

A. C. 1148.

Papa Claravalle.

Eugenius Papa, in Franciam reversus, Claramvallem divertit, ubi humilitatis studio & Regularis observantiæ amore, eximium toti Congregationi exemplum dedit. Nulla linea sed lanea tunica ad carnem tegebatur, diu noctu-

*vit. S. Bern.
lib. 2. c. 8.
n. 50.*

I 5 que

Scripserunt ad Hildegardem literas seu Epistolas multi se orationibus illius commendantes & monita ex ore ipsius Divina præstolantes, inter quos nunc memoriæ occurrentes isti fuerunt: Conradus Rex III. Fridericus Imperator I. Eugenius Papa III. Anastasius Papa IV. Adrianus quoque Papa IV. Adriani quoque Successor Alexander Papa III. Patriarcha Jerosolymitanus, Patriarcha quoque Aquilegiensis Henricus. Arnoldus & Christianus, Moguntini Archiepiscopi & Trevirenses. Archiepiscopi Colonenses. Archiepiscopi Bremenses. Archiepiscopus Salzburgensis. Archiepiscopus Magdenburgensis. Archiepiscopus Ravennensis . . . Tum recensentur Episcopi Germaniæ & Franciæ quatuordecim. Abbates triginta duo, & Præpositi Regulares sexdecim. Abbatissæ etiam multæ, Presbyteri Sæculares, Monachi & Conventus, Philosophi & Magistri doctissimi . . . Quibus omnibus Christi famula literas ad interrogata misit Responsales, quemadmodum per Divinam Revelationem didicit singulis esse rescribendum.

Sæcul. XII.
A.C. 1148.

que cucullo vestitus. Ut Majestatis decus servaretur, segmentata ei circumferabantur pulvinaria, lectus ejus pallis splendidis operiebatur, & cortina ambiebatur purpurea, sed revolutis operimentis nihil, nisi paleæ, superinjecta stragula lanea, suberat. Cum toti Congregationi loqueretur, lacrymas non tenebat nec suspiria, hortabatur, consolabatur, morabatur inter eos non Domini sed fratris speciem referens. Verum tot homines, qui Curiam Summi Pontificis sequebantur, pauper monasterium diu alere non valuit. Adfuit tamen Eugenius eodem anno Capitulo Abbatum Cisterciensium generali, non ut Præses aut Papa, sed tanquam hujus Ordinis membrum.

Tandem in Italiam reversus, feliciter emenso itinere, Romam pervenit.

§. XXXIX.

S. Gilbertus Sempringamensis.

Gilbertus Sempringamensis ad hoc Capitulum advenit, & Congregationem, quam nuper instituerat, Ordini Cisterciensi juncturum se esse pollicitus est. Erat is ex gente Anglorum in provincia Lincolnensi anno millesimo centesimo octogesimo tertio natus, cui, postquam literis operam dedisset, parens duas Parochias

*vit. Monast.
Angl. to. 2.
p. 669.*